

pro persona adhuc vivente, per anticipationem celebrari non posse.

CAPUT SEXTUM.

DE MINISTRO SACRIFICII MISSE.

Christus principalis est offerens in sacrificio missæ. *Idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit*, ait concil. Trid., sess. 22, cap. 2. *Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio*, inquit S. Aug. de Civitate Dei, l. 10, cap. 20.

Probavimus in prima parte solum sacerdotem esse ministrum Eucharistiæ sacramenti quoad confectionem: inde sequitur eum solum missæ sacrificium valide offerre posse. Circa hoc punctum nullum moveri potest, nec de facto movetur dubium.

Simplices tamen fideles aliquo sensu dici possunt missæ sacrificium offerre, quatenus videlicet oblationem a sacerdote factam approbant, ei consentiunt, et Christo victimæ cordis affectu conjunguntur. Unde in canone legitur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum..... pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque, etc.*

Dispositiones in sacerdote requisitas ad licite celebrandum, supra descripsimus, agendo de dispositionibus ad suscipiendam Eucharistiam necessariis. Nunc specialiter nobis agendum est 1° de obligatione quam habent sacerdotes missam celebrandi; 2° de frequenti celebratione; 3° de obligatione fructum missæ applicandi; 4° de stipendio et obligationibus ex stipendio nascentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE OBLIGATIONE QUAM HABENT SACERDOTES MISSAM CELEBRANDI.

1° Longe communius docent theologî, v. g., S. Th., Suarez, Layman, Bonacina, Concina, Habert, Juénin, Col-

let, contra Card. de Lugo et nonnullos alios, omnes sacerdotes, non legitime impeditos, teneri sub peccato mortali saltem aliquando celebrare; idque concludunt 1° ex verbis B. Pauli, Hebr. v, 1: *Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*; 2° ex verbis Christi, *hoc facite in meam commemorationem*: quæ verba, ex concilio Trid., sess. 22, cap. 1, verum continent præceptum. 3° Ex Decretal. l. 3, tit. 41, cap. 9, ubi Innocentius III fortiter arguit sacerdotes qui *missarum solemnia vix celebrant quater in anno*; 4° auctoritate S. Pii V, qui contradictoriam opinionem ex operibus Cajetani eam defendentis expungi jussit, referente S. Ligorio, l. 6, n. 313, dub. 1.

2° Non sibi consentiunt theologî quoties in anno celebrare teneatur sacerdos, ut non peccet mortaliter. « Saltem videtur quod celebrare teneatur in præcipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt, » inquit S. Th. 3 part., q. 82, art. 10, conclus. Præcipua autem festa in quibus fideles communicare consueverunt, sunt Nativitas Domini, Pascha et Pentecostes, ut explicatur apud Bened. XIV, l. 3, cap. 1, n. 5 et 6.

Concilium Trid., sess. 23, de Refor. cap. 14, sic habet: « Curet episcopus ut ii saltem diebus dominicis et festis » solemnibus; si autem curam habuerint animarum, » tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas » celebrent. » S. Car. Bor., concilio Mediol. I, tit de Freq. divini Sacrificii Oblatione, auctoritate concilii Trid. innixus, omnibus sacerdotibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis, præcipit ut his diebus celebrare non omitant. Hinc Bened. XIV, l. 3, cap. 1, n. 9, concludit dari obligationem sub peccato, pro sacerdote non impedito, singulis diebus dominicis et festivis celebrandi: sed definire non vult an illa obligatio sit sub veniali tantum, an sub mortali.

Longe probabilius videtur aliquas hujus generis omissiones, sine causa excusante, esse duntaxat peccata venia-

lia, modo audiatur missa, et extrinsecæ rationes frequentiore non expetant celebrationem : imo S. Liguorius ut multo probabiliorem habet sententiam quæ docet sacerdotem non teneri, sub peccato mortali, celebrare pluries quam ter aut quater, in solemnioribus festis. Pius sacerdos periculo mortaliter in hoc genere peccandi nunquam se committet.

3^o Qui curam habent animarum, missam celebrare tenentur singulis diebus dominicis et festis de præcepto : his quippe diebus fideles missam audire tenentur : et, quantum *commode fieri potest*, in propria parochia, juxta concil. Trid., sess. 24, cap. 4, de Refor. Verum obligatio missam audiendi, supponit in pastore strictam obligationem eam celebrandi per se vel per alium. Unde qui celebrare non vult, vel si est impeditus, curare debet, juxta communem opinionem, ut alius pro se missam parochialem celebret; sic Bened. XIV, l. 3, cap. 3, n. 6. Excusari igitur non potest parochus qui, legitime non impeditus, missam die dominica omittit celebrare, vel, absque licentia episcopi, propriam deserit ecclesiam, et causa est cur fideles præcepto audiendi missam satisfacere nequeant.

4^o Vicarii, eo ipso quod ab ordinario in una collocati sunt parochia ut parochi sint coadjutores, obligationem habent missam saltem diebus dominicis et festivis celebrandi, ut fideles facilius sacro assistant.

Insuper parochi et vicarii celebrare tenentur, quando exercere debent functiones missam requirentes, v. g., sponsalia celebrare, mortuos sepelire, officia mortuorum peragere, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE FREQUENTI CELEBRATIONE MISSE.

1^o S. Bonaventura, de Præparatione ad missam, cap. 5, ait : « Sacerdos qui non celebrat, quantum in ipso est, » privat Trinitatem laude et gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio

» existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra quotidiana » peccata et infirmitates. » Idem ferme habet auctor exquisiti operis de Imitatione Christi, l. 4, cap. 5, in fine. Suarez et multi theologi cum illo statuunt *ad Spiritum Ecclesie propius accedere et convenientius esse singulis diebus sacrificium facere, idque sacerdotibus inculcandum*; Bened. XIV, l. 3, cap. 2, n. 1.

2^o Plurimi tamen allegant frequentiam generare indifferentiam; quod raro fit, pretiosius fieri; in primordiis Ecclesie non ita sæpe, sed majori cum devotione missam celebrari consuevisse; sacerdotes qui rarius celebrant, sensibiliori compunctione cordis et multis cum lacrymis sacrificium offerre, et denique pios animarum rectores consilium sacerdotibus dare ut aliquoties missam omitant, nec quotidie celebrent.

3^o His rationibus Bened. XIV respondet 1^o melius quidem esse quotidie vel frequentissime celebrare, sed bene semper et cum dispositionibus requisitis celebrandum esse; 2^o Apostolos eosque qui Apostolis proxime successerunt frequenter vel etiam quotidie celebrasse; et id probari posse, tum ex Act. 11, 46 : *Quotidie perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem*; tum ex S. Cyp., Epist. 54 : « Episcopatus nostri honor grandis » et gloria est pacem dedisse martyribus, ut sacerdotes » qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo et » victimas præparemus; » tum ex pluribus aliis testimoniis quæ hic referre longius esset. 3^o Quoad sensibilem devotionem et lacrymas, negat eas esse donum quo necessario careant qui frequentius celebrant, vel dispositionem ad digne celebrandum requisitam; citat testimonium Joannis Gerson, qui docet satis esse, ad missam digne celebrandam, si sacerdos, post discussam diligenti examine suam ipsius conscientiam, moraliter certus sit se esse in statu gratiæ, nec omnem fervoris aut attentionis defectum obstare quominus missa digne celebretur.

4^o Sacra Cong. Rituum, per decretum diei 11 februarii 1690, ab Alexandro VII die 11 martii approbatum, sic

statuit : « In sabbato sancto, etiamsi occurrat festum » Annuntiationis B. Mariæ Virginis, celebratio missarum » privatarum omnino prohibetur, in quibuscumque ec- » clesiis et oratoriis tam publicis quam privatis, non » obstante quacumque consuetudine, sed unica tantum » missa conventualis una cum officio hujus diei celebre- » tur. » Alia citantur decreta ejusdem Cong. in eodem sensu, et Bened. XIV, l. 4, cap. 3, n. 10, contendit nul- lam esse causam cur eis non pareatur.

Ex variis S. Cong. Rit. decisionibus, citatis vel relatis apud *Merati* in Gav., t. 2, part. 14, p. 110, et *Gardel.*, n. 1843, prohibitum est ne celebrentur missæ privatae, feria V in Cœna Domini, in quacumque ecclesia vel oratorio. Missa solemnissima permittitur in solis ecclesiis in quibus asservanda est sacra Eucharistia.

Communiter tamen apud nos, ex usu recepto et ex Missalium nostrorum rubricis, missæ privatae celebrantur feria V in Cœna Domini, nunquam feria VI in Parasceve; in pluribus diœcesibus, v. g., in Cenomanensi et Parisiensi, permittuntur, sed non suadentur, in Sabbato sancto.

Ubi autem feria V in Cœna Domini missæ privatae non celebrantur, omnes sacerdotes missæ majori assistunt et de manu celebrantis sacram suscipiunt communionem, in memoriam institutionis sanctissimi hujus sacramenti, et hoc Ritui Romano consonum valde congruit, ac rectissime ab episcopis instituitur vel renovatur.

Alius non est dies in anno in quo celebrare non liceat.

5^o Juxta veterem disciplinam, usque nunc per orbem catholicum vigentem, singuli sacerdotes tres celebrare possunt missas in festo Nativitatis Domini. Mos ille ad Telesphorum papam, versus medium secundi sæculi existentem, juxta plures, ascendit, quod alii judicant improbable : quidquid sit, certum est illum existisse tempore S. Gregorii, qui, l. 1, Homil. 8 in Evang., aiebat : « Quia, lar- » gente Domino, missarum solemnissima ter hodie celebra- » turi sumus, loqui diu de Evangelica lectione non possu- » mus. »

Celebrari solebant una in media nocte, altera ad auroram, et tertia in die; sic in missalibus inscribuntur, et ita celebrari debent in cathedralibus, collegiatis et parochialibus ecclesiis, ut populus eis alternatim assistere possit.

Ex multis sacræ Rit. Cong. decisionibus, una tantum dici potest missa nocte in singulis ecclesiis. Aliæ celebrari non debent ante auroram. Vide *Merati*, part. 4, tit. 3; *Caval.*, t. 4, p. 35; *Gardel.*, t. 5, p. 108. S. Cong., sub die 18 sept. 1781, declarat *contrariam consuetudinem esse abusum* ab episcopo reformandum. Hæc tamen consuetudo apud nos generaliter subsistit.

6^o Olim plures missas aliis diebus celebrare licebat; sic S. Albertus, monachus, factus presbyter, duas in die celebrabat missas, unam pro vivis et alteram pro defunctis. Leo III, summus Pontifex in fine octavi sæculi, septem in eodem die, et aliquando novem celebrare consueverat missas; *Fleury*, l. 46, n. 20, et Bened. XIV, l. 3, cap. 4, n. 12. Concilium Selingstadense, prope Moguntiacum, anno 1022, can. 6, prohibuit ne sacerdos plus quam tres celebraret missas in eodem die. Alexander II, in Decreto, 3 part., dist. 1, can. 53 relatus, declaravit sufficere sacerdoti unam missam una die celebrare. Innocentius III, Decretal. l. 3, tit. 41, cap. 3, consulenti respondet : « Quod, excepto die Nativitatis dominicæ, nisi causa ne- » cessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in una die » missam solummodo celebrare. »

7^o Parochi qui duas simul habent parochias, si populus in alterutram convenire non possit, et alius desit sacerdos qui missam celebret, duas missas singulis dominicis et festivis diebus celebrare possunt, ex licentia episcopi, juxta plurimos, vel ex jure communi, ut alii multi dicunt. Omnes fatentur rem fieri non posse inscio episcopo, qui perspiciet an necessitas sic agendi revera existat.

Episcopus autem duplici hujusmodi celebrationi consentire non potest, ex pluribus conciliis provincialibus et ex resolutione Congr. Episc. et Regul., a Bened. XIV, l. 3, cap. 5, n. 4, citata, nisi sub sequentibus conditionibus : 1^o ut ipsius judicio vera existat necessitas, locorum

natura, vel sacerdotum paucitate, vel infidelium persecutione fundata; 2° ut in prima missa, post sumptionem corporis et sanguinis Domini ablutiones non sumantur, sed post secundam missam sumendæ reserventur; 3° ad breve tempus et personæ tantum alicujus sacerdotis concedatur, non vero tanquam privilegium alicui parochiæ adnectatur; 4° pro solis diebus dominicis et festis tribuatur; 5° in diversis tantum ecclesiis duæ missæ celebrentur.

Qui tali potiuntur facultate, officium diei veneris in Parasceve his celebrare non possunt, quia post missam præsanctificationum jam non sunt jejuni.

8° Bened. XIV testatur nullum in Ecclesia Orientali reperiri monumentum quo appareat sacerdotem uno eodemque die plures missas celebrasse; imo, in ea ecclesia prohiberi ne quis sacerdos eodem die missam celebret ad altare in quo alius celebravit, nisi gravis necessitas aliter fieri postulet. Sed plura esse possunt altaria in eadem ecclesia, vel plures sacerdotes in eodem altari simul celebrare possunt.

9° Ex veteri consuetudine, quilibet sacerdos sæcularis binas, et regularis ternas missas celebrare solebant, in die Commemorationis fidelium defunctorum, per totum Aragoniæ regnum; ad preces Ferdinandi VI et Joannis V, Hispaniarum et Portugaliæ regum, Bened. XIV, ut ipse narrat l. 3, cap. 4, n. 11, omnibus presbyteris, tam sæcularibus quam regularibus, in utriusque regis dominiis existentibus, concessit facultatem, ante se pluries negatam, ut, die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, tres missas celebrare possent, etiam duabus horis post meridiem, ea conditione ut omnibus fidelibus defunctis, sine quacumque eleemosyna, applicarentur.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONE APPLICANDI FRUCTUM MISSÆ.

1° Omnes qui curam habent animarum tenentur jure divino missam, saltem aliquando, pro ovibus suis offerre,

ut docet concil. Trid., sess. 23, cap. 1, de Reform. « Cum » præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his » sacrificium offerre, etc. » Non dicit ante eos celebrare, ut sacro assistant, sed pro eis offerre, id est, fructum sacrificii eis applicare. Cum autem non exprimat quoties hæc applicatio fieri debeat, sacra ejusdem concilii Congr. definit, per decretum 10 maii 1681, ab Innocentio XII die 24 aprilis 1699 approbatum, eos qui pingues habent redditus, singulis diebus, et qui tenues, saltem diebus festis missam pro ovibus applicare teneri.

2° Verum Bened. XIV, ut difficultatibus ex distinctione inter pingues et tenues redditus nascentibus occurreret, per Constit. *Cum semper*, diei 19 augusti 1744, Bullar. t. 1, statuit 1° omnes curam animarum habentes, quo nomine intelliguntur parochi et vicarii, sive perpetui, sive ad tempus, missam pro populo sibi commisso applicare teneri singulis diebus dominicis et festis, in quibus missa ex præcepto audienda est, etiamsi congruentes non haberent redditus; 2° parochos pauperes dispensationem ab ordinario obtinere posse, ut ipsis liceat etiam diebus festis missam applicare pro eleemosynam offerentibus, modo intra eandem hebdomadam missas omissas populo applicent. 3° patriarchales, metropolitanas, cathedrales et collegiatas ecclesias missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere applicare teneri et per missam pro aliquo benefactore, vel pro benefactoribus in genere oblatam, seu impositam, obligationi missæ conventualis non satisfieri; 4° canonicum parochum, vel alias onere missarum gravatum, si missam conventualem celebret, eam pro benefactoribus applicare teneri, et per alium supplere missas quibus specialiter manet adstrictus.

3° S. Cong. concil. Trid. interpres pluries respondit, notanter die 14 junii 1841 nobis et die 22 nov. ejusdem anni archiepiscopo Turonensi, curam animarum habentes fructum missæ populo sibi commisso applicare teneri diebus festis per indultum apostolicum diei 9 aprilis 1802 reductis.

Eodem sensu jam responderat dicta sacra Cong. die 28 martii 1801 relative ad festa iisdem ferme vocibus reducta a Pio VI in statibus ecclesiasticis. Intentio igitur summi Pontificis fuit exonerandi fideles ab obligatione missam certis diebus audiendi, non vero pastores ab obligatione eam applicandi. Verba equidem indulti diei 9 aprilis 1802 solos dispensant fideles. Obligatio igitur pastorum eadem ab eo tempore fuit quæ erat antea; id est, se extendit ad festa vi indulti supradicti suppressa et quorum solemnitas ad dominicam proxime occurrentem transfertur, non vero ad festa anteriori tempore suppressa.

4º Eadem obligatione tenentur papa respectu totius Ecclesiæ, et episcopi respectu suæ diœcesis; curam enim in eminentiori gradu habent animarum: frequentius missam pro populo offerre non videntur teneri, propter Constitutionis Bened. XIV auctoritatem, quamvis plures docuerint eos ad quotidianam applicationem teneri. Sic *Ferraris*, vº Missæ sacrif. art. 3, n. 13; *S. Ligorius*, l. 6, n. 327, etc.

5º Prælati et superiores monasteriorum regularium quotidie, sicut canonici, missam conventualem pro fratribus sibi subditis, et simul pro benefactoribus in genere, celebrare debent. Habent enim curam animarum, et, sub hoc respectu, vi Constitutionis Bened. XIV ad applicationem in diebus dominicis et festivis reducuntur: sub alio respectu, capitulis et collegiatis assimilari debent. Itaque missa conventualis quotidie videtur applicanda benefactoribus in genere, nisi, ob nimiam paupertatem, obtenta fuerit dispensatio a Congr. concil. juxta quod dicit Bened. XIV, Const. citata, n. 19.

Nullibi invenire potuimus capellanos monialium, confraternitatum, sæcularium congregationum, militum, collegiorum et seminariarum præpositos missam diebus dominicis et festivis applicare teneri. De facto illam apud nos non applicant, nisi id speciali conventionione fuerit sancitum, et recte judicatur eos ad talem applicationem non teneri.

6º *S. Ligorius*, l. 6, n. 327, cum pluribus aliis doctori-

bus quos se consuluisse affirmat, docet parochos et episcopos infirmos, vel aliter a celebratione impeditos, obligationem habere missam diebus dominicis et festivis per alium pro populo offerendi; quia onus illud non est tantum personale, sed reale ut onus prædicandi et sacramenta ministrandi, ac consequenter per alium impleri potest et debet. Hinc parochus, cui datur vicarius ob ipsius infirmitates, retributiones consuetas pro missis parochialibus a vicario applicandis, solvere debet, seclusa speciali alia conventionione.

7º *Sequitur ex dictis* 1º episcopos, parochos aliosque curam animarum habentes, teneri ex justitia supplere missas diebus dominicis et festivis correspondentes, quæ, a tempore suæ institutionis vel commissionis, omissæ fuissent, quacumque ex causa; 2º tenuitatem redituum ab illa obligatione non liberare, nec totam redituum suppressionem, dum titulus cui annexa est cura animarum, retinetur: unde Pius VI, hac de re consultus a sacerdotibus Gallicanis in Hispania exsulibus, respondit eos ad applicationem missæ diebus dominicis et festivis adhuc teneri; sed, facultate dispensandi utens, onus illud ad aliquot missas reduxit; 3º ipsam parochialem missam, cui scilicet convocantur parochiani, applicandam esse, et non aliam, sine dispensatione episcopi ob gravem causam concessa: qui ergo alium pro se substituit sacerdotem, quod apud nos fieri potest, saltem ex consuetudine, et ab ipsa Sac. Rit. Cong. admissum videtur, ex responsionibus diei 27 febr. 1847 et 22 julii 1848 (*Gardel.*, t. 8, p. 468 et 494), curare debet ut missa pro subditis offeratur; et qui talem accipit delegationem, eo ipso censetur promittere se applicaturum missam parochianis: hæc regula tenenda est etiam in festis reductis et translatis, cum, ex decisionibus iteratis summi Pontificis, missa in his diebus sit applicanda. In cathedralibus, quando episcopus pontificaliter celebrat, nihilominus tenetur hebdomadarius missam applicare. Ita *S. Rit. Cong.* die 12 nov. 1831. *Gardel.*, t. 8, 116; 4º vicarium qui, ex commissione episcopi, moriente parochus, directioni parochiæ ad tempus

præponitur, jura parochialia percipere; sed missam parochianis applicare teneri videtur ex encyclica Bened. XIV, diei 19 aug. 1744, § 4 (*Bul.*, t. 1, p. 163). Res tamen non est certa, et judicio episcopi relinquenda est; 5º eum qui ecclesiæ annexæ vel capellæ vicariali deservit, et cuncta parochi munia respectu fidelium sibi commissorum implet, eo ipso missam parochialem applicare debere: non item eum qui affixus est capellæ vulgo dictæ *auxiliaire*, in qua nonnullas tantum functiones sacras dependenter a parocho exercere potest, nisi aliter expresse fuerit conventum; 6º eos qui duas habent parochias, et duas missas singulis diebus dominicis et festivis celebrant, utramque pro respectivis parochianis offerre teneri: sic responsum fuit a S. Congr. concil. re ad ipsam delata, et recenter ea decisio ab ipsa confirmata est in responsione altera ad DD. archiepiscopum Auxitanum directa, die 8 julii 1843. Non tenentur vero illi qui unam habent parochiam et annexam sibi subjectam, quia parochia et annexa non faciunt duas parochias; nec illi qui, ut in diœcesi nostra, vacanti parochiæ vicinæ invigilare, et quosdam actus, nempe hannonum publicationes, matrimonia et sepulturas exercere jubentur; cura enim illius parochiæ, stricte loquendo, ipsis non committitur.

E Roma nobis responsum est, licet non in forma authentica, parochos ad pia spiritualis secessus exercitia vocatos ab episcopo, eo ipso exemptos esse ab obligatione applicandi missam parochianis dominica intra dies pro secessu assignatos occurrente.

8º Parochi et vicarii ecclesiis præpositi tres missas in die Nativitatis Domini ad utilitatem populi celebrare probabilius tenentur: id docet Bened. XIV, l. 3, cap. 9 in fine; sed definire non audet an tres missas vel unam tantum applicare teneantur; idem movet et non solvit dubium de obligatione canonicorum in cathedralibus et collegiatis, non solum pro festo Nativitatis, sed pro aliis diebus in quibus, ex rubricis, plures celebrandæ sunt missæ. Auctor dissertationis insertæ in Ephemeride Romæ publicata sub titulo *Correspondance*, diei 14 decemb.

1848, expresse docet unam tantum applicandam esse missam die Nativitatis, sicut unam ex præcepto esse audiendam.

ARTICULUS QUARTUS.

DE STIPENDIO ET OBLIGATIONIBUS EX ILLO NASCENTIBUS.

Dicemus 1º de ejus origine et legitimitate; 2º de ejus quantitate et ad alios transmissione; 3º de modo satisfaciendi pro illo; de missis fundatis et earum reductione.

§ I. — De origine et legitimitate stipendii pro missa.

1º Sicut in veteri Lege magna pars hostiarum cedebat in usum sacerdotum et levitarum, sic in primis Ecclesiæ sæculis mos fuit ut quotquot ad missarum solemnia convenirent, suam sacrificii partem, id est panem et vinum consecrandum, offerrent: subdiaconi oblationes fidelium colligebant vel suscipiebant, et tantum de illis super altare ponebant quantum populo communicaturo sufficere posset; et quoniam unusquisque, pro sua facultate, plures sæpe offerebat panes, cum larga vini amphora, ut ait Bened. XIV, l. 3, cap. 21, exigua pars consecratur, et reliqua massa sacerdotibus ac clericis cedebat.

Qui non offerebant, graviter increpabantur. « Locuples » et dives es, et dominicum te celebrare credis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit, sumis: » sunt verba S. Cypr. feminam divitem alloquentis, lib. de Opere et Eleem. Sic omnes fideles aliquo sensu recte dicebantur sacerdotes; quia panem et vinum offerentes, ad sacrificium altaris concurrebant.

2º Canon 3 Apostolorum prohibuerat ne aliud præter panem et vinum, ad altare offerretur: excepta tamen fuerunt novæ spicæ, uvæ, oleum ad luminaria et thymiana. Cæteri fructus, quos fideles offerre volebant, mittebantur ad episcopum et presbyteros, per quos diaconis et aliis clericis distribuebantur.

In die Paschatis, suscipere licebat mel et lac, de quibus sacro fonte egressis aliquid dandi mos erat.

3° Postea statutum fuit ut ad offertorium missæ nihil præter panem et vinum offerretur, et soli jus communionis habentes ad oblationem præstandam admitterentur, videlicet clerici, laici, viri ac mulieres, principes et plebei; non vero excommunicati, catechumeni, energumeni, pœnitentes et alii quibus sacra communio denegabatur. Ea autem quæ clericorum usibus destinabantur, ante missam vel saltem ante evangelium aut immediate post evangelium erant offerenda: vide P. Martène, de Antiquis Eccl. rit. l. 1, cap. 4, art. 6, modum suscipiendi oblationes describentem; et Card. Bonam, Rerum Liturg. l. 2, cap. 9.

4° An in primis sæculis pecunia, sicut res aliæ, ad altare oblata fuerit non constat. Bened. XIV dicit hoc nobis ignotum esse, sed ab ipsis Ecclesiæ incunabulis in singulis Christianorum ecclesiis expositam fuisse arcam, quam Baronius, ad an. 44, n. 69, gazophylacium appellat, in quam pecuniæ a fidelibus inferebantur. Illius arcæ meminerunt Tertul., Apol. cap. 39, S. Just., Apol. 1, n. 67; S. Aug., S. Paulinus, etc.

5° Duodecimo sæculo, teste Honorio Augustodunensi, in Gemma animæ, de antiquo Ritu missæ, l. 1, cap. 66, Bibl. Patr., t. 20, vetus jam existebat consuetudo, ut *populus pro oblatione farinæ denarios offerret*. Antea sacerdotes e singulis domibus vel familiis accipiebant farinam, ex qua fiebat panis consecrandus. Ignoramus autem quo præcise tempore hæc consuetudo inceperit. Chrodegangus, episcopus Metensis, in medio octavi sæculi canonicorum institutor, in sua regula, cap. 32, unicuique canonico sacerdoti permittit ut elemosynam pro missa oblatam accipiat, et exinde quod voluerit faciat; in undecimo sæculo Joannes, auctor Vitæ S. Petri Damiani, narrat, cap. 2, eum adhuc puerulum, cum invenisset nummum, et mente revolveret quid eo mercari posset, divinitus inspiratum dixisse: « Melius est ut tradam presbytero, qui Deo sacrificium offerat pro patre meo defuncto. »

6° Quamdiu voluntariæ populi oblationes sufficientes fuerunt et ad sacrificium, et ad honestam clericorum sustentationem, missæ omnibus in communi applicatæ fuerunt nisi ageretur de mortuis Deo commendandis, ut patet exemplo matris S. Aug.

Sed pietate fidelium decrescente, raræ fuerunt communionis, et adeo exiguæ factæ sunt oblationes, ut nec clericorum sustentationi, nec sæpe ipsi sacrificio sufficerent: hinc nata est consuetudo primo tolerata, deinde positive approbata, ut fideles missam pro seipsis, vel pro alia persona vivente aut mortua a se designata, peculiariter offerri postularent, aliqua elemosyna ante vel post missam præstita.

7° Hæc autem elemosyna, quæ vulgo et quidem melius dicitur stipendium vel honorarium missæ, recta intentione dari et accipi debet: si haberetur quippe ut divini sacrificii pretium, grande foret simoniæ scelus, in eo præcise consistens, quod res spiritualis re temporalis æstimeretur. Solo igitur sustentationis titulo dari et accipi potest. Unde S. Th., 2 2, q. 100, art. 2, ad 2^{um}, ait: « Sacerdos » non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut missæ decantandæ, hoc enim esset simoniacum; sed quasi stipendium suæ sustentationis. »

8° Negari non potest stipendium sic spectatum esse licitum. Nam 1° Christus dixit, apud Matth. x, 10: *Dignus est operarius cibo suo*; et B. Paulus, I Cor. ix, 13: *Qui altari deserviunt, cum altari participant*. Unde concluditur sacerdotem ex altari vivere posse, id est habere jus ut fideles, occasione sacri ministerii, ea præstent quæ ad ejus sustentationem necessaria sunt. 2° Totius Ecclesiæ praxis erronea esse non potest: at in tota Ecclesia, saltem a duodecimo sæculo, dantur et accipiuntur stipendia pro missis. Ergo.

Cum Ecclesia inter sacerdotes divites et pauperes non distinguat, omnes stipendia consueta accipere possunt, quia omnes æquale jus habent ex altare vivendi. Stipendia pro aliis sacramentis similiter accipere liceret, si Ecclesia permitteret: secus, simonia esset.



§ II. — De quantitate stipendii et ejus ad alios transmissione.

1° Non dissimulandum est rem in se bonam, ex abusu mox factam esse scandalorum fomitem: multi namque sacerdotes, turpis lucri gratia ducti, eleemosynas pro missis colligere cœperunt, et modo plures missas eodem die celebrabant, modo tres aut quatuor incipiebant missas usque ad offertorium; deinde, unico facto offertorio, tres aut quatuor dicebant collectas, postea unum canonem, unam consecrationem, unam communionem, et tres aut quatuor communiones et postcommuniones; alii tot offerebant et consecrabant hostias quot acceperant eleemosynas, vel quot erant missæ promissæ; alii credebant se pro multis stipendiis per unicam missæ celebrationem satisfacere posse, quia pretium sacrificii est infinitum; alii denique de stipendiis pro missis turpiter paciscebantur, quasi de vilissimæ rei pretio actum esset.

Ut gravissima hæc mala de medio tollerentur, concilium Toletanum, anno 1324 celebratum, strictissime prohibuit, cap. 6, ne ullus sacerdos quidquam vel minimum pro missa exigeret, sed eleemosyna sponte oblata contentus esset. Malo adhuc perseverante, concilium Trid., sess. 22, decreto de Observ. et Evit. in celebratione missæ, injunxit episcopis ut illud omnino tollerent, addens: « Ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad » avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta et quidquid pro missis novis celebrandis » datur, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque » hujusmodi quæ a simoniaca labe vel certe a turpi » quæstu non longe absunt, omnino prohibeant. »

2° Episcopi autem scandala hujus generis auferre non potuerunt in radice, nisi taxando in sua respectiva diocesi stipendium ultra quod nemo quidquam exigere posset. Wilhelmus, archiepiscopus Eboracensis, hujusmodi taxam ante concilium Trident. jam præfixerat; post concilium Trid. omnes episcopi similiter egerunt, et nunc nulla est diocesis in qua specialis non existat index elee-

mosynarum pro functionibus sacris, et maxime pro missis celebrandis, solvendarum.

3° Quantitas taxationis omnino relinquatur arbitrio episcopi, qui eam, vel in synodo, vel extra synodum, juxta prudentiam suam, determinat, habita ratione circumstantiarum, loci, temporis, antiquarum consuetudinum, etc.

Illata taxatio vim non habet in foro civili apud nos, nisi approbatione regia muniatur.

4° Nullus sacerdos, sive sæcularis, sive regularis, aliquid supra taxationem, sub quocumque prætextu, exigere potest, et exigendo, non solum contra mandatum Ecclesiæ, sed contra justitiam peccaret, et ad restitutionem obligaretur: hoc quippe augmentum evidenter absque titulo proprietatis transmissivo possideret.

5° Non prohibentur tamen regulares aut sæculares uberiorem stipem a sponte offerentibus accipere, modo absit dolus et quodecumque pactum etiam implicitum. Sic Suarez, Card. de Lugo, Bened. XIV, l. 3, cap. 21, n. 13, et ita censuit S. Cong. concil. die 6 januarii 1649.

6° At qui pinguiorem accepit stipem pro una missa celebranda, eam alteri celebrandam minori stipendio committere non potest, sed totam eleemosynam acceptam tradere debet: sic ab Urbano VIII statutum fuerat, et Alexander VII, die 25 septembris 1675, hanc damnavit propositionem: « Post decretum Urbani VIII, potest » sacerdos cui missæ celebrandæ traduntur, per alium » satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. » In ea damnatione comprehendi non videtur sacerdos qui, pingua habens stipendia, a parcho, v. g., rogatus, missam parochialem parochianis applicat, ea conditione ut parochus unam e missis a se promissis dicat; aut, pro quacumque causa, intentionem cum alio mutat. Item sacerdos omnino voluntarie stipendium majus relinquens non videtur damnandus, nec qui illud sic oblatum retinet.

7° Quilibet sacerdos potest aut nullum aut minus stipendium pro missa a se postulata exigere, quia juri suo